

DISPUTATIO IV.

DE PECCATO EX PASSIONE, IGNORANTIA ET
MALITIA.

SECTIO UNICA.

An peccatum recte dividatur in hæc tria.

In præcedentibus explicui ea, quæ pertinent ad formale et materiale peccati; hæc vero sectio præcipue necessaria est ad intelligendam gravitatem accidentalem ejus, de qua doctores, in 2, d. 22 et 43, et D. Thomas 1, 2, quæst. 76, 77 et 78, ubi hæc numerat tanquam tres causas peccatorum: tamen quia proprie circumstantiae sunt, et melius, et brevius intelliguntur si simul inter se conferantur, ideo unico verbo hic rem expediemus.

1. *Rationes dubitandi.* — Dubitant itaque, utrum peccatum recte in tria illa membra dividatur. Ratio dubitandi prima est, quia omne peccatum ex aliqua ignorantia oritur. Secundo, quia nullum est peccatum ex malitia, quia vel illa malitia, ex qua dicitur esse peccatum, est actualis malitia, vel non: si non est actualis, non est malitia, si vero actualis: ergo peccatum: ergo vel illud est ex malitia, vel non: sistendum est ergo in alio quod non sit ex malitia, et cætera, quæ ex illo oriuntur, etiam non erunt ex malitia, sed erunt tantum talia, quale illud est ex D. Thoma, quæst. 3, de Malo, art. 4, quia effectus participat conditionem cause. Tertio quia videntur esse aliqua peccata, quæ non comprehenduntur ista divisione: primum ignorantia ista, quæ saepe peccatum est. Secundo peccatum ex suggestione, quod non est ex malitia, cum proveniat ab extrinseca causa, et tamen est ex passione, neque ex ignorantia, ut patet in peccato Adam, et inferiorum Angelorum, et idem fere videtur de peccato, quod occasionem habet in naturali quadam complexione prava, et tandem potest esse peccatum, quod simul ex ignorantia et passione oriatur.

2. *Prima propositio.* — Prima propositio. Certum est hæc tria genera peccatorum reperi: probatur Actorum 3: *Scio quia per ignorantiam fecisti*: 1 ad Timoth. 1, *ignorans feci*, Jerem. 4, *propter malitiam cogitationum restrarum*, etc., Isai. 5, *Væ qui trahitis iniqutatem in funiculis vanitatis*, etc., Dan. 13, *Concupiscentia subvertit cor tuum*, Job. 34, *Quasi de industria recesserunt a me*, quod est

peccatum ex malitia, et est communis sententia Patrum et theologorum, et ratione patebit statim.

3. *Secunda propositio de peccato ex passione.* — Secunda propositio. Peccatum ex passione illud est, quod oritur ex motione appetitus sensitivi trahentis voluntatem ad consentiendum, atque adeo determinantis libertatem, juxta illud Jacobi 1: *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus, et illectus*. Advertendum est circa hoc genus peccati passionem hanc debere antecedere, et quodammodo extorquere consensum voluntatis, atque adeo debere esse intensem et vehementem: nam si sit remissus quidam motus, qui fere nihil voluntatem commoveat, aut rationem perturbet, non constituitur peccatum ex passione, quia fere nihil minuit libertatem, et propterea oportet esse passionem simpliciter antecedentem: nam si sequatur excitata a voluntate, licet postea ipsam voluntatem angeat, neque peccatum, neque augmentum ejus, censentur ex passione, quia non fuit passio prima radix, et causa augmenti et peccati. Ex quo etiam fit ut ea passio, quæ propter pravam consuetudinem est vehementior, non constituit peccatum ex passione, quia talis motio non est violenta, sed voluntaria, et ideo dixit Aristoteles, intemperatum, non ex passione, sed ex malitia peccare, 3, Ethicorum. Et divus Thomas idem dixit 1, 2, quæstione 78, art. 7, de peccato ex consuetudine, quod intelligendum est quamdiu ipsa consuetudo voluntaria est: nam si pœnitentia aliquem præterita consuetudinis, et jam, quod in se est, faciat, ut illi repugnet peccatum ex illa consuetudine ortum, ex passione judicandum erit, et idem fere judicandum, quando consuetudo ipsa ex passione traxit originem; quia tunc sicut habitus passione est genitus, ita ejus effectus moraliter videntur quasi ex passione fieri, licet divus Thomas in questione 79, articulo secundo ad secundum, aliud videatur indicare, sed intelligendus est, quando passio non cessavit, et nihilominus aliquis vult perseverare in sua consuetudine, tunc enim habitus incipit esse quasi plene voluntarius.

4. *Recensentur, et remittuntur alio varie quæstiones de ignorantia.* — De ignorantia multiplex quæstio excitari solet: quod attinet ad moralia, de quibus hic nobis sermo est, prima esse de ignorantia, quatenus est cum voluntario, de qua re jam superius diximus, in tract. 2. Secunda consideratio est, quatenus refertur ad species bonitatis, vel malitiae mo-

DISPUTATIO IV. SECTIO UNICA.

ralis, seu peccati: et hoc modo de illa fuse egimus, tract. 3, in materia de conscientia. Tertia consideratio, ut causa, vel potius circumstantia peccati, et de hac agemus statim, et multa etiam diximus superius, in illo tract. 2. Idem enim omnino est ignorantiam causare, augere, vel minuere voluntarium, ac augere, minuere, vel causare peccatum: quædam vero aliae quæstiones, scilicet, an ignorantia, quæ non excusat a culpa, excusat a poena? vel e contra, an ignorantia, quæ excusat a culpa, non excusat a poena? et aliae his similes, non sunt hujus loci propriæ, prima enim solum videtur habere locum in excommunicatione, posterior vero in irregularitate, ut latius in materia de Censuris videri potest. Quarta consideratio esse potest de ignorantia ipsa, quatenus quoddam peccatum esse potest, et de hoc peccatodicemus, disputatione sequenti, sect. 5. In specie vero, nempe quarum rerum ignorantia sit peccatum, et quando, et quomodo id contingat, ad materiam de Fide spectat; ibique videri potest, ubi agimus de præcepto, quo tenemur scire res fidei. Nunc quatenus peccatum dicatur esse ex ignorantia, videamus.

5. *Tertia propositio de peccato ex ignorantia.* — Tertia ergo propositio sit. Peccatum ex ignorantia illud est, quod a vincibili ignorantia voluntarium diminuente, tanquam a causa per accidens procedit, juxta illud 1, ad Corinth. 2: *Si cognovissent, non crucifixissent*. Dixi ignorantiam debere esse vincibilem, quia oportet omne peccatum esse voluntarium, et propterea, si invincibilis est, non solum non est culpabilis, sed excusat, ut D. Thomas expresse multis in locis docet, in 1, 2, licet Cajetanus, quæst. 176, art. 1, velit ignorantiam invincibilem esse causam peccati, licet illud peccatum (inquit) non imputetur operanti: tamen non bene loquitur, potest enim ignorantia invincibilis esse causa efficiendi actum, qui esset peccatum, si voluntarie fieret, tamen simpliciter nunquam est causa peccati, quia cum illa adest, non solum actus non est peccatum, sed etiam esse potest virtus.

6. *Objectio. Diluitur.* — Sed contra, nam si quis invincibiliter ignoret talem actionem, quam novit turpem, fore Petro nocivam, et ideo illam exerceat, quam tamen non exerceret, si id non ignoraret, tunc illa ignorantia invincibilis est causa peccati tanquam removens, prohibens. Respondeo concedendo aliquam ignorantiam invincibilem esse interdum nonnullam occasionem peccandi, nego tamen ratione illius ignorantiae actum esse malum, et hoc modo debet oriri ab ignorantia peccatum, quod ex ignorantia dicitur: unde peccatum illud, quod proponitur in casu argumenti, cum supponatur eum qui peccat scire actionem illam esse alias turpem, quam tamen turpidem solum contrahit, non est ignorantia. Sed advertendum præterea est istam ignorantiam, ut D. Thomas, 1, 2, quæst. 76, art. 1, notat, debere esse scientiæ contrariam non prudentiæ, seu electioni rectæ tantum, quæ potius inconsideratio dicitur: nam cum ista inconsideratione peccati, potest esse ex malitia, et quocumque alio modo: quod forte limitari potest, quando inconsideratio illa ex humana quadam fragilitate procedit: nam tunc non censetur procedere ex perfecta libertate, et ideo non minus diminuit peccatum, quam ignorantia scientiæ, ac propterea tunc reduci potest hoc peccatum ad peccatum ex ignorantia, nisi quis velit potius pertinere ad peccatum ex passione, quia inadvertentia illa, vel inconsideratio frequenter ex passione procedit, vel moraliter reputatur tanquam fragilitas æquivalens passioni: tandem addendum est oportere ignorantiam istam non esse affectatam, nam quando ipsa est directe amata, licet scientiæ sit contraria, non tollit perfectam libertatem, neque voluntarium, et ideo non constituit peccatum ex ignorantia, quia revera prima radix peccati non est ignorantia, sed voluntas. Vide D. Gregorium 25, Moralium, cap. 16, et D. Augustinum, libro de Gratia, et libero Arbitrio, cap. 3, Bernardum, Epistola 27.

7. *De peccato ex malitia.* — *Prima sententia.* — Jam de peccato ex malitia difficultas est in quo consistat. Prima sententia dicit peccare ex malitia esse peccare amando malum sub ratione mali, ita Scotus, Nominales, et alii refutati soliti 1, 2, quæst. 8, art. 1; tamen addit Almainus, tract. 3, n. 26, peccare ex malitia, esse amare peccatum quatenus est offensa Dei, licet sub aliqua ratione boni, ut vindictæ, etc. Sed is forte potest esse quidam modus peccandi ex malitia, tamen neque omne peccatum ex malitia comprehendit, neque tale genus peccati frequenter reperitur inter homines, sed est quasi proprium damnatorum: peccatum autem ex malitia frequens est.

8. *Secunda sententia etiam refellitur.* — Secunda sententia dicit peccare ex malitia esse peccare ex perfecta scientia intellectus speculativa et practica, habituali et actuali, et hic modus etiam placet Scoto: sed an iste modus

peccandi possibilis sit, tractandum est disputatione sequenti : certum tamen videtur non esse necessarium ad peccatum ex malitia, ex ratione facta, quia peccatum ex malitia frequens est : ille autem modus vel nunquam, vel raro contingit. Item, quia peccatum ex consuetudine voluntarium, secundum omnes, est peccatum ex malitia, et tamen non semper fit cum illa consideratione actuali. Denique neque ille modus sufficit ad peccandum ex malitia : nam maxime operabitur quis contra illam totam scientiam ex passione aliqua, et sic erit peccatum ex passione.

9. *Tertia sententia.* — Tertia sententia est D. Thomae 1, 2, quæst. 78, art. 3, tunc aliquem peccare ex malitia, quando voluntas de se ipsa fertur ad malum, quia tamen voluntas non fertur ad malum, eo quod malum est, ex mali propensione, addit D. Thomas oportere, ut feratur ex aliqua deordinatione, quam interdum dicit esse pravum habitum, ut quæst. 3, de Malo, art. 12, interdum vero ait esse, vel aliquid peccatum præcedens, ut desperatio, etc., vel certe aliqua complexio naturalis, et prava corporis dispositio, etc. Sed hæc omnia indigent explicatione, et videtur mihi melius explicari hoc peccatum per negationes, quam per affirmations.

10. *Quarta propositio.* — Quarta propositio. Peccatum ex malitia est illud, quod absque ignorantia, vel passione, atque adeo plena libertate et voluntate committitur. Hæc patet primo, quia hoc peccatum ab omnibus distinguitur contra alia duo genera peccatorum : ergo est tertium membrum reliqua omnia peccata complectens : et ratione confirmatur, nam, ut D. Thomas ait, homo peccat ex malitia, quando ipse ex sese fertur ad malum, propter quod Aristoteles 7, Ethicor., cap. 7 et 8, vocat hoc peccatum *ex electione*, et sacra Scriptura vocat illud *quasi ex industria*, Job. 34. Sed tunc proprie movetur homo isto modo, quando neque ex passione, neque ex ignorantia, sed propria libertate movetur, nam sola ignorantia est, quæ ex parte intellectus potest minuere potestatem voluntatis, sola etiam passio est, quæ potest quasi nonnullam vim ipsi voluntati inferre : ergo quando neutra istarum circumstantiarum adest, peccatum est plene liberum, et sine ulla excusatione proprie commissum, et ideo ex malitia proprie dicitur.

11. *Ad primum in num. 1.* — Ad argumenta in principio, ad primum jam dictum est eam inconsiderationem, quæ conjuncta est cum

omni peccato per se, non sufficere ad peccatum ex ignorantia, et consequenter non repugnare cum peccato ex malitia, quia moraliter non censetur minuere libertatem, quia facillimo negotio vitiari potest, quando non adest passio, neque ignorantia.

12. *Ad secundum ibidem.* — Ad secundum patet ex dictis, peccatum non dici ex malitia, quia ex priori peccato oriatur, sed quia ex libertate sola, quæ velut de sese prave uititur sua facultate, et ideo quasi denominatione extrinseca, malitia nuncupatur : quare cum divisus Thomas ait peccatum ex malitia oriri ex illis inordinationibus enumeratis, intelligendum est, ex illis sumi quidem occasionem peccandi, quatenus ratione illarum fit, ut objectum appareat convenienter, vel ut removeantur ea, quæ possent impeditre peccatum, tamen ut doctrina sit generalis, non est intelligendum illas inordinaciones esse semper necessarias, sed vel illas, vel aliquid illis proportionale, quod etiam ipse D. Thomas indicavit, art. 4, ad 3, et art. 3, ad 3, et patet in primo peccato primi Angeli.

13. *Ad tertium.* — Ad tertium respondeo, quando ignorantia est peccatum, ipsa potest esse peccatum ex malitia, si directe, et plene libere ametur, et ex passione, et ex ignorantia, quia ipsa potest reflecti in se. Ad secundam partem respondeo, suggestionem semper in hominibus excitare passionem quamdam; si tamen id non faciat, ut in Adamo, et Angelis, aliqui volunt hoc peccatum non comprehendendi sub ista divisione : sed melius dicitur illud esse peccatum ex malitia, quia est plene liberum, et tota illa suggestio solum est tanquam propositio objecti. Et ad eumdem modum est dicendum de prava complexione naturali, quando est occasio peccandi. Nam frequenter hæc complexio in tantum est occasio ad peccatum, in quantum excitat passionem, ut divisus Thomas, 1, 2, quæst. 77, art. 7, indicat; si tamen nullam passionem moveat, sed solum sit occasio peccandi, in quantum ratione illius hæc potius objecta, quam illa offeruntur tanquam convenientia, tunc tale peccatum est ex malitia, quia plene et perfecte liberum; et hæc est differentia inter passionem et naturalem corporis complexionem, in quo Cajetanus 1, 2, quæst. 78, articul. 7, laborat. Ad tertiam partem argumenti respondeo diversis rationibus posse pertinere illud peccatum ad diversa membra, vel ad illud potissimum, quod magis libertatem diminuit.

14. *Tria consecaria ex dictis.* — Ex dictis

primo colligitur divisionem istam esse sufficientem, et inductione patet etiam. Secundo colligitur esse divisionem accidentalem, non essentialiem, quod per se constat, quia solum ex diversis circumstantiis, *quomodo* sumitur : patet etiam ex dictis. Tertio colligitur ex his peccatis gravissimum esse suo modo peccatum ex malitia : patet, quia est maxime liberum, et quia ex sua ratione fit cum majori contemptu, quæ maxime aggravant peccata; videatur Augustinus 14, de Civitate, cap. ultimo, et Aristoteles 7, Ethicorum, cap. 3, ex aliis vero duobus membris peccatum ex ignorantia, et liberum, et voluntarium diminuit : passio vero licet libertatem minuat, auget voluntarium, item quia facilius potest quis vitare peccatum ex passione, quam ex ignorantia : videatur Augustinus 6, contra Julianum, cap. 4.

DISPUTATIO V.

DE CAUSIS PROPRIS ET INTERIORIBUS
PECCATORUM.

SECTIO I.

An in voluntate possit esse peccatum.

4. *Notatio prima pro titulo.* — *Notatio secunda.* — Peccatum quatenus peccatum est, nullam proprie formalem causam habet, praeter eam inordinationem, a qua formaliter denominatur peccatum : et quia hæc inordinatio est praeter intentionem operantis, ideo peccatum ut tale est, neque formalem causam habet, licet ut est actus, sit aliquo modo propter finem, de quo fine satis supra disputavimus. Igitur de causa materiali et efficiente agendum est, sciendum est autem ex D. Thoma, peccatum proprie esse actum immanentem, nam est actus voluntarius, qui manet in operante, et denominat illum peccatorem, unde necesse est idem esse proximum efficiens, et materiam peccati, nam actus immanens in eo subjecto recipitur, a quo fit, et ideo de utroque simul erit dicendum. Præterea supponendum est tanquam certum, contra quemdam antiquum errorem Albanensem, quem Castro, verbo *peccatum*, hæresi 3, refert : hominem ipsum esse proximam causam effectivam, atque adeo proximum subjectum peccati, quod per se notum est ex dictis : et patet ab effectu, quia ipse homo est qui punitur, unde de supposito agente nulla manet quæstio, sed tota est de potentis, in quibus potest esse peccatum.

2. *In quo versetur questio.* — Quæritur ergo primo, utrum in voluntate possit esse peccatum : et simul, utrum sola voluntatis libertas possit esse prima radix, et origo peccandi, atque adeo sufficiens. In hac autem questione unum est de fide certum, nempe in voluntate esse vere et proprie peccatum, et solum ejus consensum sufficere ad peccandum: hoc patet ex Matth. 5, 6 et 7, et ex dictis supra de malitia morali, quam totam in interioribus actibus constituimus, quia illi sunt proprie humani, et voluntarii : eadem autem est ratio de deformitate peccati. Confirmatur, nam hac ratione in voluntate angelica potuit esse peccatum, et in hoc errarunt olim Hæbrei totam justitiam, atque adeo totum id quod est peccatum, ponentes in actibus externis, ut colligitur Matth. 6, et refert Josephus 12, Antiquit. 1, cap. 13, contra quos facit illud psalmi 53 : *Si iniquitatem aspexi in corde meo, etc.*

3. *Corollaria quatuor.* — Colligitur jam primo ex his voluntatem esse, quæ proxime efficit peccatum. Patet, qui est actus vitæ, et appetitio libera. Secundo sequitur deformitatem peccati proxime quasi inhærente in actu ipso, et per illum in voluntate. Patet, nam proxime et immediate actum denominat, ratione jam dicta. Tertio sequitur voluntatem non esse causam physicam per se, et directe influentem in deformitatem peccati ; esse tamen causam moraliter per se, et physicam per accidens. Patent singula, quia privations, et defectus non habent causam physicam per se efficientem, quia actio physica per se tendit ad dandum esse. Et hoc modo Augustinus, 12, de Civitate, capite 7, dicit peccatum non habere causam efficientem, sed deficientem, quia non est quidem effectio, sed defectio. Secunda pars de causalitate per accidens constat, quia voluntas efficit actum, cui conjuncta est privatio; ergo per accidens privationem causat. Dices, imo etiam sequitur per se efficere, quia illa deformitas necessario est conjuncta actui, ut hic et nunc fit, ergo etiam intenta per se sicut actus. Respondeo, hoc probat tertiam partem tertii corollarii, de causa per se morali supposita obligatione vitandi inordinatum actum : de causa autem physica non procedit, ut patet. Quarto constat, quid dicendum sit de causa puræ omissionis, si illam esse contingat; hujusmodi enim peccatum et inordinatio immediate, et proxime quasi inhærente ipsi voluntati : nam est privatio actus debiti ; in esse causam autem efficientem nullam habet posi-